



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 3. Vtrum actus humani accipiant speciem à fine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Ratione alterius dependentiae sunt o[mn]i[n]em finem, quatenus concursus generalis qui cuique rei datur ob certum finem, ita cum naturae operatione coalescit, ut fiat vna operatio. Hinc sapienter dictum est à Philosophis, Opus naturae esse opus Intelligentiae. Vide cetera apud D. Thomam & Caietanum.

ARTICVLVS III.**Vtrum actus humani accipiant speciem à fine?**

Conclusio est affirmans. Intellige de fine intrinseco, qui est ipsum obiectum actus; sed de hoc infra q. 18. & 19.

ARTICVLVS IV.**Vtrum sit aliquis finis ultimus humanae vitae?**

Conclusio est affirmans. Ratio est, quia non potest in finibus per se ordinatis esse processus in infinitum: idque probat D. Thomas rationibus allatis ex Aristotele 2. Metaphys. & 1. Ethicor.

Ultimus finis dupliciter accipitur.

Notandum Primò, Finem ultimum posse accipi dupliciter. Primò in genere; sic nihil est aliud, quam plenitudo omnis boni, seu, esse optimè. Secundò, in particulari; sic nihil est aliud, quam illa res vel rerum collectio, in qua inuenitur boni plenitudo; ut Deus, secundum veritatem; secundum autem falsas opiniones, diuitiae, voluptates, honores &c. D. Thomas loquitur de fine ultimo vtrouis modo accepto.

Notandum Secundò, Rationes D. Thomae tantum probare in omni intentione esse aliquid ultimum quod intenditur, in quo sistat intentio; & in omni serie mediorum eligendorum ob aliquem finem intentum, esse aliquid ultimum in quo sistat intentio, & à quo inchoanda sit executio.

Patet exemplis, Finis enim ultimus quem agricola, ut est agricola, intendit, est copiosa messis: ut hanc assequatur, disponit mediorum seriem: ob hanc enim primò vult serere; ut ferat, vult arare; ut aret, comparat equos & instrumenta: vbi videmus intentionem eius sistere in messe, electionem in parandis instrumentis. Possumus tamen ex hac ratione colligere esse aliquem ultimum finem humanae vitae apud omnes homines: si subsumamus, omnes homines intendere esse beatos, saltem in genere; idque non propter aliud, sed quia hoc per se bonum est: & ut hoc assequantur, omnes actiones suas eò referre, saltem implicite seu interpretatiue. Itaque esse beatum, seu, esse quam optimè, est ultimus finis humanae vitae; quia propter se expetitur, & omnes vitae actiones propter illum.

Dices, Hinc non sequi esse aliquem ultimum finem totius humanae vitae ex natura & conditione rei: sed solum ex hominum destinatione.

Respondeo Negando quod assumitur; Quia necesse est ut ille sit ultimus finis humanae vitae,

quem omnes homines rationis naturalis ductu sibi proponunt, & in quo nemo potest falli: atque qui talis est beatitudo in genere.

ARTICVLVS V.**Vtrum vnus hominis possint esse plures ultimi fines?**

Conclusio; Neque ex natura rei, neque ex hominum intentione, possunt vnus hominis esse plures ultimi fines simul. Vtrumque intendit D. Thomas & tam de fine ultimo in particulari, quam in genere.

12

Prior pars probatur clarè, Quia ultimus finis in genere ex natura rei consistit in summa perfectione omnium potentiarum animae; atque summa perfectio cuiusque potentiae est vnica, seu vnus speciei: ergo & aggregatum ex illis summis perfectionibus est vnicum: hoc autem est ultimus finis.

Altera pars probatur clarè à D. Thoma, & satis per se patet ex terminis; nam de ratione ultimi finis est, ut sit bonum necessarium, & sufficiens ut sis quam optimè: atqui nullo modo fieri potest ut intendas duo bona tamquam tibi necessaria, & tamen vtrumque seorsim putes tibi sufficere.

Dices, Qui peccat mortiferè constituit ultimum finem in creatura: atqui homo potest peccare mortiferè etiam simul peccatis diuersi generis; verbi gratia, fornicatione, & sic constituet finem ultimum in voluptate; & ambitione, sicque constituet in honore.

Respondent Caietanus & Medina non constituere finem ultimum in bono creato, quod est obiectum peccati; sed in seipso: ipse autem in omni peccato est vnus idemque. Sed hæc Responsio non satisfacit; loquimur enim hic de fine qui appetitur, non cui; peccator autem non est finis qui appetitur, sed cui. Oportet ergo ut bonum distinctum ab homine sit finis ultimus qui appetitur. Itaque poterit vnus homo habere plures fines ultimos quos appetat.

Respondeo igitur, Peccatorem non constituere proprie finem ultimum in obiecto peccati; quia non censet illud continere omne bonum necessarium ut sit quam optimè: sed solum secundum quandam æstimationem moralem; quatenus dum amore illius rei deserit verum summum bonum, censetur illud pluri æstimare, ac proinde facere sibi summum bonum. Dici etiam potest peccatorem non constituere in bono creato vno vel duobus totum finem ultimum, sed partem tantum: Conclusio autem agit de fine toto.

Homode peccator constituit finem ultimum in bono creato.

Dices Secundò, Eiusdem effectus possunt esse duæ causæ efficientes integræ, saltem per diuinam potentiam: ergo similiter eiusdem hominis poterunt esse plures fines ultimi. Patet Consequentia, quia vtrumque est causa extrinseca, ac proinde videtur par vtriusque ratio.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia finis ultimus comparari debet non cum quavis causa efficiente, sed cum causa prima efficiente; vnde sicut vnus rei non possunt esse plures causæ primæ